

Ad lectorem

In operibus Iohannis Cassiani denuo edendis hac ratione versati sumus, ut textum a M. Petschenig constitutum cum variis apparatus, necnon prolegomena, quae M. Petschenig parti priori addiderat, stereotypice excuderemus asteriscis (*) in margine additis, ubi addendum aliquid videretur. Indices vero, quibus editio prior (pars II = Collationes: Vindobonae 1886; pars I = De institutis. De incarnatione. Prolegomena & indices: Vindobonae 1888) instructa erat et qui funditus retractandi ac multis locis corrigendi vel amplificandi apparuere, novo ordine additisque supplementis utriusque tomo distribuimus. Invenies igitur primum addenda (1) ad textum constitutum, (2) ad apparatus similitum, (3) ad apparatus biblicum, (4) ad apparatus criticum, quorum nonnulla signo ° notata iam ab ipso Petschenig editioni priori adiuncta erant; deinde indices (5) nominum, (6) auctorum et imitatorum, quo indice permultos locos similes post editionem priorem detectos congregavimus, non modo ad fontes Cassiani spectantes, sed etiam regularum quae vocantur Magistri atque Benedicti locos similes, (7) indicem biblicum. Excerpta ex indice quem vocavit Petschenig verborum et elocutionum rarissimis locis inmutata nomine (8) indicis grammatici nuncupata et (9) indiculum formarum orthographicarum, qui quos in duos tomos distribueremus indices haud apti videbantur, parti priori addere decrevimus. Quae opera ad indices componendos supplendosve adhibuerimus, tabula indicibus praemissa demonstrat.

Vindobonae, mense Ianuario, anno 2004.

Gottfried Kreuz